SIDEREA QVAM DVLCE
CORVSCAT FRONTE SERENVM:
TAM PIA SVB SANCTO
PECTORE FLĀMA MICAT.

CVM MAGNAS TIBI REGINAS
HAEC DEBEAT AETAS,
EX TE ETIĀ AVGVSTOS
SAECVLA LAETA VOLVNT.

FRANCISCI . TERTII . BERGOMATIS .
SERENISSIMI . FERDINANDI . ARCHIDVCIS . AVSTRIÆ . DVCIS .
BVRGVNDIAE . COMITIS . TIROLIS . ET.C. PICTORIS .
AD SERENSS . IMPERATRICEM . MARIAM . CAROLI . V . F . MAXIMILIANI . II . VX .
AVSTRIACARVM , MVLIERVM , IMAGINVM ,
PARS , QVINTA ,

Auſtriacæ quiſquis ueneranda propaginis ora
Effictas totidem cernis ab ære Deas,
Ne mirere, ſuam si ſtirpem his matribus orta
Progenies, cæli sidera ad alta tulit.
Nam ſtatus et forma eſt humano his ſemine maior,
Præcipue pietas arguit eſse Deas,
Maſcula conſpicitur muliebri in pectore Virtus,
Quam Fortuna loco neutra mouere poteſt,

Quis neget has igitur Superum genus esse Deorum,
Aut ui Siderei Seminis eſſe Satas!
Tot pietate graues, tot sceptro armiſq; potentes
Quæ peperere uteri fertilitate uiros!
Prisca Semiramiæ cedant præconia famæ:
Det Soboles Hecubæ, Tyndaridiſq; locum.
Auſtrides efficiunt, uirtutis ne ullius ulla
Laude premant noſtros sæcula prisca dies,

AEQVO, ET PERENNI CONIVGATI FOEDERE,
DVM PVRÈ AMANDO MVTVO CONTENDIMVS,
NVTRIMVR INVICEM, ET SIMVL GRANDESCIMVS.

Cum priuilegio per annos .XV.

LANDES
UND
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

SERENISSIMÆ IMPERATRICI MARIÆ CAROLI V F MAXIMILIANI II VX

Cum pro ſummo meo erga Auſtriacam familiam ſtudio, precipuos quoſq; eius familiæ æreis typis exprimendos ſumpſerim Sereniſſima Imperatrix, ut haberet poſteritas ipſa, quos, tamquam exemplar, imitandos ſibi proponeret; iamq; ad extremum adducta res eſſet: maximum me ſcelus commiſſurum putaui, niſi tot Principibus, propria uirtute fulgentibus, Auſtriacarum quoque mulierum imagines adiungerem: non ſolum, ut præteritarum ſplendor eniteſceret, ſed etiam, ut inter tot, tantaq; animi, fortuneq; bona, quę in aliјs fuerunt, ſingularis tua dignitas, parq; dignitati uirtus omnibus exſtaret, ac nota perpetuo eſſet. tu enim, Caroli Quinti Imp. poſt omnem omnium memoriam clariſſimi, ac celeberrimi, filia; Ferdinandi, eius fratris, nurus; Maximiliani deniq; Coniux; & Philippi, Hiſpaniarum Regis Soror, ea pignora nobis tradidiſti, quæ ſummorum, ſummæq; Familiæ Principum nomina nobis renouarent; idq; uiuens ipſa uidiſti, quod in maxima felicitatis parte omnes locandum putant, Filias duas ſummis Orbis terrarum Regibus in matrimonium collocatas. Maxima certe hæc ſunt; queq; neſcio an umquam contigerint, ſed maiora illa, quæ tua propria ſunt, Pietas in Deum, Caritas, qua tenuiores aſſidue ſubleuas, pręcipuum, uereque tuum ſtudium Catholicæ Religionis. Hæc ſunt, Sereniſſima Imperatrix, hæc, inquam, ſunt, quæ te, ſeculumq; noſtrum illuſtrant, quæ poſteritas non ſilebit ulla. Quare iure à me factum omnes ducent, qui noſtrum hoc, quidquid eſt, (quod certe, ſi ſpectetur animus, non minimum eſt) Tibi dicare, et conſecrare auſus fuerim: cum et tuas uirtutes optime omnes norint, et ego id Tibi maxime cuius eſt in iſta familia Maieſtas eximia, deberi à me intelligam: cum pręſertim uiri tui, ſummi Imperatoris, fratris, Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi maximam erga me benignitatem ſim expertus.

perpetua deuotione addictus Franciscus Tertius

ANNA. REGIS. HISP. PHILIPPI. VX. IIII

Qui videat ſumum generoſæ frontis honorem,
Et geminos oculos ſimiles radiantibus aſtris
Me etiam agnoſcat Diuarum ſanguinis unam.
Dignaq́ pro meritis ſperet ſe premia ferre,

ISABELLA. REGIS. HISP. PHILIPPI. VX. III.

Alecto ingentes bellis accenderat urbes,
Effuſoq́ diu ſpumabant ſanguine campi;
Cum tandem ſubiens Regina hac munere Diuûm
Armorum pepulit rabiem, ac ſub tartara miſit.

ANNA. MAXIMILIANI II. ROM. IMP. F.

Ea pulchritudine eſt, à qua tamen grauitas non abſit, ea prudentia, quæ utramque adæquet; benignitate & humanitate tanta, quantam in principe feminá quiſquam uiderit; ijs denique uirtutibus ornata quibus maiorum claritati egregie reſpondeat.

ISABELLA HENRICI GALLIÆ. REGIS. F.

Læta facie, sic, ut iucunditatem intuentibus afferret, dignitate tamen ea quæ Reginá deceat, quamdiu uixit, summá & beneuolentiá, & obſeruantiá apud omnes adepta, multis naturæ, fortunæ, animiq́ bonis inſtructa, uim tamen fortunæ uitare nõ potuit, patrem amiſit immatura morte ereptum, nec multo poſt, edito immaturi tẽporis in fante, incredibili & Philippi Regis, & omnium dolore deceſsit

UND
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

MARIA HENRICI.VIII. ANGLIÆ. REGIS. F.

Miram prudentiam, & ſeueritatem in omni uita persecuta, cumq. magni motus in Regno excitarentur, uirili animo perduelles exſtinxit quamquam inter ſacras uirgines educata, animo his cogitationibus exculto, nullam gerendi belli partem nouiſset: sed nimirum defendenti Catholicam Religionem, Regiamq. Maieſtatem Deus ipse malorũ ultor affuit, Regnumq. in ſumma obedientia conſeruauit.

MARIA. IOANIS REGIS. PORTVG. F.

Adſpectu, ad beneuolentiam conciliandam apto, graui acutoq ſermone, in omni actione mire prudens, intra paucos annos confecto uitæ cursu, ad æternas sedes, ideſtad capiendum uirtutis, & innocẽtiæ ſuæ fructum, euolauit.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

ISABELLA EMANUELIS LUSITANIÆ REGIS. F.

Grauitate fuit Summa quæ beneuolentiam conciliaret, & metum tamen quendã ſimul afferre uideretur, ita nemo fuit, quin eam uereretur, & diligeret Philippi, Hiſpaniarum Regis potẽtiſsimi, mater. Vt filium in matre matrem, in ſilio agnoſcere poſsimus.

ANNA VLADISLAI PANNONIÆ ET BOHEMIÆ. REGIS. F.

Populos multis beneficijs, ut animo in primis excelſo erat, affecit. Pietati Chriſtianæ, diuinoq; cultui mire dedita, ſetus nobis eos tradidit, qui Orbem terrarum ſuis uirtutibus illuſtrẽt, & tamquã in tenebris unicum nobis lumen prebeant.



IOANNA FERDI CASTEL. F. ET. HÆRES.

Maritum ita dilexit, ut nulla umquam magis ulla ætate felix Auguſta prole. duorum enim Imperatorũ mater, Caroli V. & Ferdinandi I. ſemina nobis attulit omni uirtute referta.

ELISABETHA IOHANIS REGIS CASTEL. F. HÆRESQ.

Ea fuit animi, conſilijq́, præſtantia, ut in difficillimis bellis, dubiiſq́, Marte semper intereſse uoluerit qua uirtute ad heroum præſtantiſsimas laudes prope acceſsit feminis certe omnibus antecelluit.

LAND- UND STADT-BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

BLANCA.MARIA.IOHAN.GALEATII.SFORTIÆ.INSB DVCIS.F

Pulcherrima ſui temporis, conſilio, morum præſtantia omnium beneuolentia, atque admiratione digna, Auſtriacæ familiæ tamquam omen quoddã Regnorum ſuorum potiendorum fuit.

MARIA.CAROLI.BVRGVNDÆ.DVCIS.F.VNICA.ET.HERES.

Non solumuiuo patre, ob formæ præſtantiã, & quod ei unica filia fuit, hereſq, multarum prouinciarum, marito cariſſima fuit, ſed poſt obitum quoque patris eximiam prudentiam, ac uirtutem, in omni ſua uita præſetulit

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF



ISABELLA MAXIMILIANI II. IMP. F

Quis non diuino munere factum putet, ut Isabella Carolo nupſerit? quis non uidet fatum hoc quoddam eſſe huius familiæ, ut quocumq; se conferat, pacem afferat, tranquillitatemq;, diu expetitam, adducat! Diui Ludouici. I. Gallorum Regis exemplo, qui splendorem Valeſiæ domui addidit.

IOANNA CAROLI V. IMP. F.

Porciam, Catonis filiam, ne quis amplius quęrat. Ioannam Caroli V. filiam uerè agnoſcas, si prudentiam, si inuicti animi conſtantiam, si deniq; omnes animi dotes ſpectes, ut iure Caroli V. filiam Lusitaniæ Regis uxorem dicas.

4 8

[illegible]
DÜSSELDORF

BLANCA RVDOLPHI BOEMIAE REGIS VX. I.

Proles magna Deûm cęlo delapſa ſereno
Blanca hominū, diuūmq; decus: cui plurima frōte
Cęſaries inſtat; lucenti lumine luſtrat
Collectas tenebras, et uultu temperat Auſtros.

ELISABETHA RVDOLPHI BOEMIAE REGIS VX. II

Cuius forma? Deæ: retinet quæ nomina? numen
Vnde abijt? cælo: duxit Iouis armiger, et cur
Inuiſit terram? oſtendit ſua numina mundo.
Mollia Thura igitur celebres referemus ad aras.

BLANCA PHILIPPI III. GALLIAE REGIS F.

Felix uiro uxor; felix uir uxore. eæ enim in utriſque uirtutes, ea animorum coniunctio, ut coniugium uerè dici poſsit, quo non ſolum corpora, uerum animi quoque coniunguntur.

ELISABETHA, OTHOCARI BOEMIAE REGIS F.

Rudolphum uerè felicem dicas; qui Eliſabetham ſibi in uxorem delegerit; quæ genere illuſtris, illuſtrem quoque uirum reperit. Quo Boemia lętata, magna ſuæ lętitię ſigna in animis hominum edidit.

MARGARITA MAXIMILIANI ROM IMP F

Margarita Auſtria. Maximiliani Cæsaris filia. Joannis. Regis Aragonū. Ferdinandi F. uxor. prudentia. comitateq. inter omnes sui temporis mulieres primum locū obtinens, uiro mortuo. Philiberto ſabaudiæ Duci iterum nupsit. qui cum moriens triſte sui desideriū omnibus relinqueret, præcipuū uxori reliquit. ea enim. in eius memoria conſeneſcens. Principes. uiros, eam efflagitantes, omnes tenuit,

KVNIGVNDIS FRIDRICI IIII ROM. IMP. F.

Kunegundis. Friderici IIII filia. ætatem ingenio superans. ſpecie excellens. Alberti, Bauariæ Ducis. uxor. liberos reliquit. qui eius uirtutes referrent. non minimo interim mærore suorum ex hac mortali uita erepta.



LEONORA . EDVARDI LVSITANIÆ . REGIS . F.

Multis uirtutibus floruit, benignitate in primis, & pietate erga Deú, quas ornabat eximia pulchritudo, sic, ut maritus eam in oculis ferret

CYMBVRGIS . SEMOVITI . DVCIS . MASOVIÆ . F.

Magnitudine animi, & fortitudine corporis, supra omnes feminas excelluit; summas reſ geſsit. æternis litterarum monumentis Celebrandas; magnorum lituaniæ Ducū, unde originem ducebat, & imitata gloriam & aſsecuta.



ISABELLA FEDERICI III. PVLCHRI VX. I.

Dij ſuſum cęcis mundum uidere tenebris.
Atq; hominum ſortem miſerati; hanc lumine diuuá
Egregiam æthereo uoluerunt linquere cęlum:
Huc uenit: Noctesq; omnes, tenebrasq; fugauit.

ISABELLA FEDERICI III. PVLCHRI VX. II.

Qua terræ Auſoniæ exultant, et amęna ſuperbit
Parthenopes Diuuam placidis Hymenæus ab oris
Aſpiciens iunxit diuino coniuge, quo ſe
Auſtria lętitiæ plauſu magnum æthera complet.

ISABELLA RINOLDI PRINCIPIS GELDRIAE F.

Non huic humanas calamitates diutius ſentire Deus permiſit. in ipſo enim ætatis flore cælum adſcendit: ut ſede ſua frueretur, quam ijs uirtutibus ſibi acquiſiuerat, quas multæ cum imitentur, paucis tamen aſſequi licet.

ISABELLA IACOBI IVNIORIS ARAGONIAE REGIS F.

Parthenope ſe natam gloriatur Iſabella; Parthenopeq; Auſtriacis gloriatur Principibus. cui Regioni tantum ſplendoris attulit hæc familia, quantum ipſa Regio cæli amœnitate, et ijs rebus, quæ ad uitam, uictumq; pertinent, alijs Regionibus excellit.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

VIRIDA LEOPOLDI VX.

Hæc Diua e ſummo in terras deſcendit Olympo
Ignota ut nobis Diuorum exempla referret.
Sed Cęlum Detus ingemuit; sic Iupiter illam.
Cripuit mundo ad Superos iuſſitque redire.

ELISABTHA ALBERTI, I. VX.

Huic cędat Diuũm mater Berecynthia gaudẽs
Tanta prole Deũm, queis ſulget limen Olympi
Diua hæc Deũm parib⁹ ſibi numina fatis
Comparat, et paribus ſulget lętiſſima natis.

VIRIDA BARNABAE VICE COMITIS MEDIOLANI DVCIS F.

Auſtriacæ familiæ fuit hæc, tamquam omen quoddam, Inſubrũ ditionem poſſidendi. quæ regio fertiliſſima, omniumq; Italicæ regionum multis nominibus fere princeps non ab alijs, quàm ab Auſtriacis, uerè Principibus, diũtius obtinerí ſe eſt paſſa.

ELISABETHA MERARDI DVCIS CARINTHIAE, COMITIS, TIR. F.

Sũmam felicitatem ſenſit Eliſabetha, quæ fœcunda prole Alberto uiro, primo Arciduci Auſtriæ, uigintiſex liberos attulit, at maiorem ſentiret, qui omni uirtute principe uiro digna, familiam illuſtriſſimam immortalitati commendant.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF



AGNES OTHONIS BVRGVNDIAE DVCIS F

In Agnetis prudentia, iſq. uirtutibus, quæ Principem feminam decent. plurimum Rudolphus semper conquieuit, ipſaq; contra, eum mirificè. ob ſingulares animi dotes, ſemper dilexit: eaq; uiro officia pręſtitit. quæ ſibi maximam nominis immortalitatem peperere.

ANNA ALBERTI COMITIS HMBVRG F.

O miram, et numquam ſatis laudatam coniunctionem; in his ea felicitas apparet, quæ in beatis uiris ab omni labe puris, agnoſci ſolet. ea re Rudolphus felicem ſe noſcens inuidit tamen ei fortuna, tantoq; bono paruo temporis ſpatio lætari eum paſſa eſt.

LANDES UND STADT BIBLIOTHEK DÜSSELDORF



IOANNA. VDALRICI. COMITIS. FERRETTI. F. ET. HERES.

Litteris exculta, inſigni eloquentia, sic, ut Romam religionis gratia profecta, latino ſermone Ioannem sumum Pontificem sit allocuta ut & Pontifex ipse, & ceteri omnes ingenij præſtantiam admirarentur

ELISABETHA. SIGISMVNDI. ROM. IMP. F.

Virtute præſtitit, e ſtirpe Antiquiſſima familiæ lucemburg, ex qua auos, & proauos, Imperatores, Boemiæq Reges, fama claros habuit. animi uirtute, acsapientia floruit.

PVLC HRA DIFFIC ILIA
Qua licuit tenus, extulimus ueſtra inclyta noſtris
Nomina imaginibus: quin et iuuat altius ire.
Vos modo, Semideum sanguis, quibus omnia rident
Sidera, uos nobis (ne qua inuida sarcina tardet
Sublimes animos) humilem releuate uiciſſim
Fortunam, et propriæ laudi ſpirate secundi.
M.D.L.
X XIII.
PETIT SECVN
DA TERTIVS.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

13. 3.1973 vollst. S